

§. VI.

De Foro L. si contendat.

391 **F**orum peculiare, & prior non multum ab- simile pandit L. si contendat 28. ff. de Fide- jussor. que ita sonat: si contendat fidejussor, ceteros solvendo esse, etiam exceptionem ei dandam, si non & illi solvendo sint. Sensus est: quod unus ex fidejussoribus pluribus, cui competit beneficii divisionis, illud proponere possit, & per modum actionis, Judicis officium implorandò; & per modum exceptionis, actioni adversus illum à creditore institutæ eandem opponendò.

392 **S**ensum hunc subministrat Glossa ad cit. l. eumque, contra aliquorum sententia, amplectuntur Bartolus, Alexander, Paulus de Castro, Abbas in cap. si quis contra 4. h. r. n. 2. Covarruv. d. l. 1. cap. 18. n. 3. Hartman. Pistor. lib. 4. q. 15. n. 2. Heig. d. p. 2. q. 8. n. 5. Mynsinger 4. O. 72. num. 7. Blum. cit. tit. 36. n. 26. Brunnem. ad cit. l. n. 1. Lauterbach in cit. disput. ad L. si con- tendat cap. 2. th. 10. & 13. & horum calculò, certissima LL. declaratrix consuetudo.

393 **S**i quis ergo timeat litem sibi ab alio in qua- cunque causa movendam, adire potest Judi- cem proprium, & implorandò officium nobi- le, petere, ut adversarius citetur, ac ipsò præ- sente declaretur, se illius debitorem non esse, vel exceptionem sibi competere.

394 **D**ixi I. si quis litem sibi ab alio movendam &c. Remedium itaque cit. L. reum respicit, qui, cum agere non possit pro libitu, sed, donec actor incipiat agere, expectare teneatur, omni- nò dignus est auxilio Legis, ut actorem ad agendum, & litem tempestivè movendam 395 cogere possit. Et in hoc differt reme- dium hoc à remedio L. diffamari, quod illud solummodò metum litis; istud verò diffama- tionem prærequirit. Lauterbach d. l. cap. 3. th. 29.

396 **D**ixi II. in quacunque causa. In quo conve- nit remedium d. L. si contendat cum remedio L. diffamari, quòd, licet textus loquatur de fide- jussionis causa, ex æquitate tamen, & rationis 397 paritate ad omnes causas extendatur. Adco- que, si tutor bona quondam pupilli restituit, & redditis rationibus residua solvit, potest hoc remediò uti, & petere, ut declaretur, quòd exceptionem solutionis contra pupillum ha- beat. Similiter, qui rem aut jus mediante præscriptione acquisivit, ac metuit, ne rei aut juris præscripti nomine à veteri Domino actio sibi moveatur, exceptionem præscriptionis in Judicio potest proponere, tametsi Dominus non egerit. Lauterbach d. l. cap. 5. th. 44.

398 **D**ico III. adire potest Judicem proprium, & implorandò officium nobile, petere, ut adversarius ci- tetur. In quo iterum convenit remedium L. si contendat cum L. diffamari: cum in utroque is, qui remedium intendat, non teneatur Forum adversarii sequi, sed illum ad proprium suum Forum trahere possit, quodcunque privile- gium habeat, modò in n. 380. & seqq. præscri-

ptò. Lauterbach cit. l. e. q. th. 62. & seqq. Un- de & si ille, qui adversarius sibi metuit, diver- sis in locis Forum fortituri, in ejus arbitrio erit, coram quo velit exceptionem suam pro- ponere; nec poterit adversarius evocatus alium postea Judicem eligere: cum facultate eligendi, antecedenter habitam, uti & li- bertatem agendi, ob alterius Judicis præve- tionem amiserit, arg. eorum, quæ in n. 389. & seq. statimus: et si non nesciam, sententiam contrariam esse communiorè, tenerique à Covarruv. d. cap. 18. num. 6. Lauterbach cit. l. th. 66.

Dixi IV. ac ipsò présente declaretur, se illius de- 400 bitorem non esse &c. Citatus itaque vel com- pareat, vel non. Si non compareat; non quid- em statim eidem silentium imponitur, sed, ac- curatà prius contumacià, in causa exceptionis proceditur, ac, si vera & justa fuerit inventa, secundum excipientis intentionem pronun- tiatur, atque adversario silentium injungitur Lauterbach d. l. th. 71.

Si compareat, 401 ac exceptionem, contra se oppositam, infringere nequeat, declarat Judex, vel imploran- tem debitorem non esse, vel exceptionem ei competere. Lauterbach cit. l. th. ult.

Differt itaque remedium L. si contendat à re- 402 medio L. diffamari, quòd posterior eò tendat, ut diffamator intra certum terminum ad agendum admittatur, eidemque, si hoc non fecerit, perpetuum silentium indicatur; nec diffamatus ulterius progredi, ac jus suum in ju- dicio deducere possit: cum eontrà prius remedium eò collimet, ut jus reo competere, Judex declareat. Lauterbach d. l. cap. 8. th. 59. ubi plures adhuc differentias enumerat.

Sed quid, si actor intermitat agere ex eo 403 capite, quòd actio in certum diem, vel condi- tionem restricta sit, & dies necdum venerit, aut extiterit conditio: anne tunc reus nihilominus exceptionem, si quam habeat, vel ha- bere putet, opponere potest? Nullò modò. Cum enim actor non habeat jus agendi, reus 404 quoque non habet jus excipiendi: &, sicut, actor ante adventum diei, vel eventum condi- tionis agere volens, tanquam plus petens, repellitur à Judicio: ita & reus, ante illud tempus excipere volens. Videatur post Hartmannum Pistor. lib. 4. q. 15. num. 4. Lauterbach d. disputat. cap. 3. th. 19. & seqq. Ex quo etiam cum multis Autho- 405 ribus infert Heigus cit. p. 2. q. 8. n. 19. & seqq. agnatum aut vasallum, jus in feudo vel fidei- commissio succedendi habens ex investitura, vel institutione majorum, non posse, vivò aliò feudi aut fidei commissi possessore, agere ad hoc, ut declaretur, mortuò illò, feudum ad se devolutum iri: cum jus agendi ante mor- tem possessoris non habeat, per ea, quæ tradi- ta sunt in lib. I. tract. de præscrip. cap. 3. an. 37.

§. VII.

De Foro Præventionis

406 **U**ltimò ad Forum singulare reduci potest Forum præventionis: quando enim reus in pluribus locis conveniri potest, judicandi facultas privativè competit Judici, qui præve- nit, seu primum actum judicalem exercuit. Ita textus & DD. in cap. proposuisti 19. h. r. ubi Panormit. in n. 9. & l. si quis 7. ff. de Judic. ubi 407 Brunnem. Ratio est: tum quia & in aliis casibus melior est conditio præventis, & qui prior est tempore, prior Jure censetur cap. qui prior. § 4. de R. l. in 6. tum quia, ubi Judicium semel est cæptum, etiam finiri debet l. ubi acceptum 30. ff. de Judic.

408 **D**ixi I. quando reus &c. ubi mox insurgit, gravis ventilatio: an, si reus Laicus litem coram Judice Laico inceperit, ac postea sit Cle- ricus, litem ibidem continuare teneatur, tan- quam præventus? Variè variè respondent, dis- tinguant, & decidunt, ut patebit inspicienti Martano de Jurisdic. p. 4. cent. 1. casu 121. Oli- vam Fori Eccl. p. 3. q. 33. P. Engel h. r. n. 53. & seqq. P. Wiestner ibid. à n. 155. D. Wei- 409 gel cit. disputat. cap. 1. n. 21. Ego ta- men resolutionem ex dictis à n. 194. & n. 205. absque singulari difficultate colligi posse, opi- nor. Potest etiam utilissimè videri Pignatellus tom. 1. consuls. 11. n. 32. & seqq.

410 **D**ixi II. judicandi facultas privativè competit Judi- ci, qui prævenit. Hic itaque præventionis effec- tus est, quòd solus Judex præveniens in causa controversa jus dicere possit, reliquo- rum Judicum potestate, quam antehac obti-

nebant, suspensà cap. proposuisti 19. h. r. & l. si quis 7. ff. de Judic.

Dixi III. seu primum actum judicalem exercuit. 411 Primus autem actus judicialis in ordine ad præsentem materiam per textus citatus est cita- tio, ad instantiam partis legitimè facta. Quòd si propriò motu fuerit citatio (excipere 412 causas criminales, in quibus ex officio proceditur) aut ex aliquo capite foret invalida, præventionem operari non possit, per cit. cap. proposuisti: ibi: ad petitionem cujusdam adver- sarii sui à se legitimè citatus &c. P. Engel h. r. n. 52.

An etiam citationis executio & intimatio 413 quoad partes requiratur; an verò sola cita- tionis commissio sufficiat? Dubium facit cap. gratum 20. de Offic. Jud. deleg. ex quo habetur, Jurisdictionem delegatam sola citationis commissione perpetuari: ut proinde cum Panormit. ibid. n. 3. Feino n. 5. præventio quo- que induci videatur. Sed, quia dilicri- 414 men est inter perpetuationem, & præventio- nem Jurisdictionis, dum perpetuatio nihil exigit, quam usum qualemcunque Jurisdictionis; præventio autem desiderat Jurisdictionis execu- tionem, & extensionem ad partes, respectu quarum nulla est præventio, si nulla citationis habeatur notitia: Ideò crebrioribus votis 415 conclusum est, præventionem non ante indu- ci, quam citatio partibus intimata fuerit. Marta de Jur. p. 2. c. 3. n. 14. P. Engel d. l. P. Wiest- ner d. l. n. 145.

CAPUT IV.

De Objecto Judicii.

**F**orò, in quo agendum, electò, debet actor & causam, quam agit, accuratè per- pendere: sicut enim immotum apud nostrates brocardicon est, quòd actor rei sequatur Forum; ita & præcemia non minus indubitata est, causam quam- libet à suo Judice ventilandam esse. Post Forum igitur, Judicii objectum, seu cau- sam in Foro tractandam, suscipimus.

SECTIO I.

De Causis spiritualibus.

SUMMARIUM.

I. Describuntur, & distinguuntur causæ spiritua- les. 2. Quæ ab intrinsecis sunt, spectant ad Ecclesiasticum Judicem. 3. Ratio datur. 4. & 5. Ubi & illa, quæ ab extrinsecis tales sunt. 6. & seqq. In dubio, an causæ sit spiritualis, judicat Judex Ecclesiasticus. 9. & seqq. In causa possessoria, qua simul involvitur causam proprietaria, isdem ille judicat. 13. & seqq. Reservan- tur, & resolvuntur opposita. 18. & seqq. Si qua- rò nulla sit questio facti, judicant etiam Judex Sa- cularis. 21. Laicus potest à S. Pontifice delegari ad causam spirituales. 22. & seqq. Non etiam ab Episcopo. 24. Causa matrimonialis ab Episcopis discutitur. 25. & seqq. Voto- rum Vicarius. 30. & seqq. Sicut & causa spon- salium. 34. Causa dotis, incidit solum mota.

in Judio Ecclesiastico dirimitur. 35. Causa decimarum pertinet principaliter ad Forum Ecclesiasticum. 36. & seqq. Etiam si decima à Laici jure feudati tenentur. 40. & seqq. Non reman. si jure proprietatis à Laicis possideantur. 42. & seqq. Secus, si Laici tantum in presump-

tiōne temporis immemorialis se fundent. 46. & seqq. Quæstionem finium dirimit Judex Ecclesiasticus. 52. & seqq. Similiter & quæstionem Clericatus. 56. & seqq. Ostenditur, quandam Clericus captus ad Judicium Ecclesiasticum remittendus sit.

§. I.

Quis causarum spiritualium in genere sit Judex?

**C**AUSÆ spirituales dicuntur illæ, quæ referuntur ad finem spirituales, seu supernaturalem. Hæcque spiritualitas vel est intrinseca, quæ scilicet afficit rem, ex natura sua ad finem supernaturalem ordinatam, uti sunt Sacramenta, Fides, Cultus Divinus, Religio &c. vel extrinseca, quæ afficit rem, ex natura sua temporalem, cum spirituali tamen ab extrinseco, & per accidens connexam, veluti est jus decimandi, jus patronatûs &c. Hôc præmissis,  
**2** Certum est I. res spirituales, ab intrinseco tales, ad cognitionem Judicis Ecclesiastici pertinere. Textus sunt in cap. cum ad verum 6. & seqq. Dist. 96. cap. Ecclesia S. Mariae 10. de Constit. cap. sollicita 6. de M. & O. cap. decernimus 2. cap. novit. 13. de Judio. cap. audivimus 1. & seq. de Reliq. & Venerat. Sancti. cap. licet 2. de Prab. in 6. Clem. si anobis 1. Ut lite pend. Ratio perquam evidens est: quia, ad cujus Jurisdictionem causæ controversæ pertinent, ad illum spectat cognitio. Sed causæ spirituales, ab intrinseco tales, spectant ad Judices Ecclesiasticos, ut ostensum est in Lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 2. per tot. speciatim à num. 130. Ergo &c.  
**4** Certum est II. & illas causas spirituales, quæ versantur circa res, ab extrinseco spirituales, disquisitioni Ecclesiasticæ reservatas esse. Textus sunt in cap. quando 3. de Judio. cap. nam 3. de Ord. cognit. cap. labor 5. cap. causam 7. Qui filii sint legit. cap. si Judex 12. de Sent. excommunicat. in 6. Ratio persequè clara est: quia magis dignum trahit ad se minus dignum arg. cap. quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles. vel altar. & res temporales definit esse tales, quamprimum spirituali fuerit annexa, prout elucescit non tantum ex Jure Sacro in cap. si quis objecerit 7. l. q. 3. sed etiam ex Jure profano in sacra 8. Inst. de R. D. Adeoque, sicut res, ab intrinseco spirituales, effugiunt discussionem Laicam; sic etiam res, ab extrinseco spirituales. Et inde in cap. decernimus 2. de Judio. pro regula traditur: de negotiis Ecclesiasticis, maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, Laicorum judicio disponendum non esse.  
**6** Ambiguum autem est I. an, si non constet, sitne causa spiritualis, an verò temporalis, decisio spectet ad Judicem Ecclesiasticum? Resp. affirmative. Ita Covarruv. pract. 99. cap. 33. n. 1. Marta de Jurisdic. p. 4. cen. 1. casu 145. n. 11. & p. 2. cap. 31. num. 17. Olliva Fori Eccles. p. 1. q. 26. n. 21. dicens, sententiam hanc receptissimam esse, omniumque tradi-

tionem. Illustr. D. Baro Schmid & D. de Balsis in semi-cenur. 2. Q. Q. forens. controu. 26. num. 9. Textus est concludens in cap. si Judex 12. ibi: quia de re Ecclesiastica & spirituali &c. de Sent. excommunicat. in 6. Ratio est: tum quia regula, quæ extat in l. si quis 5. ff. de Judio. quod Judicis sit, æstimare, an sua sit Jurisdic. falit, si disputatio emergat inter Judicem inferiorem & Superiorem: istius enim tunc est, judicare super re controversa: Judex autem Ecclesiasticus est Superior in suo ordine Sæculari Judice per cap. sollicita 6. de M. & O. & sextus concordantes. tum quia, si Judex Laicus judicaret, rem esse spirituales, utque limites sua potestas excederet, ac sententiam nullam diceret arg. cap. Ecclesia 10. de Constit. & cap. est Clerici 4. de Judio, quas neutiquam excedit Judex Ecclesiasticus, rem esse temporalem, judicandò: quippe cum is temporalis Jurisdictionis non sit incapax, sicut Laicus est incapax Jurisdictionis spiritualis. Ambiguum est II. an, si quæstio vertatur non de proprietate, sed possessione rei, aut juris spiritualis, illa coram Ecclesiastico, vel Sæculari Judice tractanda sit? Ambiguitatem hanc generant discrepantia in speciem Juris loca, & desuper conceptæ pugnantæ DD. conciliationes, de quibus videri possunt Covarruv. pract. 99. cap. 35. Fachin. l. 8. cap. 15. Ranbeck. in p. unopl. disp. 2. cap. 5. à num. 2. Ego cum sequenti distinctione hanc ambiguitatem dissolvo, ac  
 Resp. & dico I. si quæstio de possessione sit. I. mul involvat causam proprietatis, veluti si agatur remediò possessorio ad restitutionem conjugis, illaque dicat, matrimonium antecessens, aut validum non fuisse, aut legitime separatum &c. eam coram Ecclesiastico Judice disceptandam esse. Et sic intelligo I. I. textum & regulam in cap. susceptis 1. de Causis possess. & propriet. ubi dicitur, causam possessionis & proprietatis coram uno eodemque Judice proponi debere. Sic intelligo II. Clement. dispensationem 2. de Judio. in qua disponitur, ad præstationem decimarum Laicos renitentis auctoritate Ecclesiastica compelli posse. Ratio est: quia possessio, qua tenent involvit causam proprietatis & titulum, est aliquid spirituale, ratione tituli spiritualis, quem involvit: ideoque non alium, quam Ecclesiasticum Judicem repositit.  
 Oppones I. cap. petimus 19. Xl. q. 1. in quo 13 Episcopum, alienam plebem possidentem, Principis Sæcularis auctoritate judicandam ad restitutionem compelli posse, decernitur. II.

cap. filii 31. XVI. q. 7. quò loco Regis auri bus intimandum dicitur, si Metropolitæ res Ecclesiasticas male administrant. III. cap. ult. de Judio. ubi Potestas Sæcularis, qualis erat Florentina, de juris eligendi quasi possessione judicavit. IV. cap. causam qua 7. Qui filii sint legit. ibi: ad Regem pertinere, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare.  
**14** Resp. ad I. text. Principem Sæcularem (cujus nomine ibidem venit etiam auctoritas judiciaria) non ad judicandam possessionis causam, sed jam judicandam à Foro Ecclesiastico exequendam, tantquam Advocatum Ecclesiæ, vocatum esse.  
**15** Resp. ad II. pariformiter, malam administrationem Metropolitanarum Regis auri bus intimandam esse, non ut judicet vel puniat, sed ut impediat, terreat, ac denuntiationem ad Sedem Apostolicam minitetur.  
**16** Resp. ad III. jus eligendi in d. cap. ult. non spirituale, sed profanum extitisse, utpote non ad electionem Rectoris parochialis, qui debet esse perpetuus, sed Rectoris Castri, qui erat temporalis, ut innuit verba: ne tempus regimini electi inutiliter elaboretur &c. destinatum. Quòd autem in petitorio negotium ad Ecclesiasticos Judices remissum fuerit, ea est ratio: quia rei conventi erant personæ Ecclesiasticæ, scilicet Abbas & Conventus S. Mariæ de Florentia.  
**17** Resp. ad IV. per possessionem non intelligi detentionem rei, sed rem ipsam possessam, & quidem temporalem, sicut hic intellectus omni Juri cognitus est, Divino apud Matth. 19. Marc. 2. Canonico in cap. ex literis 5. de Pignor. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. Civili in Linterdum 78. ff. de P. S.  
**18** Respondeo & dico II. si quæstio de possessione versetur circa nudum factum, nec causam proprietatis, seu jus, & titulum involvat, veluti si quærat: quis hóc annò perceperit decimas? an juratum sit? an Clericus de beneficio defectus sit? disceptationem etiam coram Laico Judice institui posse. Inprimis enim ex generali regula actor Forum rei sequitur, si causa, propter quam agitur, non sit excepta; veluti causa possessionis de facto

solum controversa, cum temporalis sit, nullibi excipitur. Deinde proximiùs ad in- tentum facit tam cap. cum sit 8. de Foro comper. ubi personis Ecclesiasticis, Laicorum violentià spoliatis, datur electio, velintne spoliatorum coram Ecclesiastico, vel Sæculari Judice convenire; quam cap. licet 2. de Jurisjur. in 6. ubi præcipitur Judicibus Sæcularibus, ut mulieres jurantes ad servanda juramenta compellant; qualis compulsio absque eo, quòd præcesserit cognitio de juramento præstito, fieri nequit. Denique licet jus factò applicetur, attramen factum ipsum non continet jus: potestque eam ab causam factum circum rem spirituale dignoscit, quin jus spirituale cognoscatur. Quò stante, non video, quid Judicis Sæcularis cognitionem impediat.  
 Ambiguum est III. an Laicus jure delegatò possit de causis spiritualibus cognoscere? Resp. I. si sermo sit de S. Pontifice delegante, affirmative. Ita universi. Textus bonus in cap. Mennam 7. II. q. 1. Et ratio est: quia vires S. Pontificis, tantquam universalis Ecclesiæ Catholice Rectoris, non transcendit, Laicum ad tractanda spiritualia habilem efficere, præsertim, si, ut accidit in presenti, Laici non agent nomine propriò, sed nomine delegantis.  
 Resp. II. si sermo sit de Episcopo, vel alio delegante, negativè. Ita cum consuni Magnif. D. P. König ad lib. 1. tit. 29. de Off. Jud. de leg. n. 1. P. Reiffenstuel eod. tit. n. 88. Textus, non contentendus in cap. significasti 18. de Foro comper. ubi, dum decernitur, Clericum in Judicem non suum consentire non posse, nisi sit Ecclesiasticus, & Episcopi Diocesani consensus accedat, datur intelligi, Episcopis eam potestatem non competere, ut Laicos ad judicandas causas Clericorum habilitet: quomodò ergo ad judicandas causas spirituales habilitabit? Ratio est: quia 2 Episcopus vel alius, Summò Antistite inferior, nequit id, quod Jure Superiori constitutum est, abrogare. At Jure Superiori constitutum est, ne Laici se immisceant negotiis spiritualibus per textum in num. 2. & 4. recitatos. Ergo &c.

§. II.

Quisnam in causis matrimonialibus sit Judex?

**D**IXIMUS in genere, causas spirituales à Judicibus Ecclesiasticis esse dirimendas. Inferunt exinde I. causam matrimonii, quæ & ipsa, ob annexam dignitatem Sacramenti, spiritualis est, non posse alibi quam in Curia Ecclesiastica & Episcopali ventilari. Textus sunt in cap. multorum 10. XXXV. q. 6. cap. una fraternit. 5. de Procurat. cap. tuam non 3. de Ord. cognit. cap. ex literis 1. de Consanguin. & affin. cap. per Venerabilem 13. Qui filii sint legit. cap. accedentibus 12. de Excess. Prælator. Trident. Concil. sess. 24. de reformat. matr. can. 12. Nunc  
**25** Disceptatur I. an Vicarius Episcopi de causis matrimonialibus cognoscere possit? Scru-

pulum movet d. cap. accedentibus 12. de Excess. prælat. ubi cognitio causarum matrimonialium dicitur esse Episcopalis dignitatis; nec non Trident. Concil. cit. sess. 24. de reformat. cap. 20. ubi sic ordinat: ad hæc causæ matrimonialibus & criminales non Decani, Archi-Diaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitandò, sed Episcopi tantum examini & Jurisdictioni relinquuntur. Quibus textibus commotus Laym. in cap. licet 2. de Offic. Vicar. in 6. cum Rebuffo & Pilgrino negavit Vicariis facultatem, de causis matrimonialibus cognoscendi.  
 Receptor tamen sententia Vicariis eandem facultatem adscribit. Panormit. in cap. si vir. 2.

vir. 2. de Cognat. spir. n. 4. Covarruv. de spon-  
sal. p. 2. §. 12. n. 18. Barbosa de Off. & pot. Episc.  
alleg. §. 4. n. 94. P. Wiestner de Off. Vic. n. 45.  
Quadrant huc textus in cap. ult. de Cognat. spi-  
rit. ubi refertur casus, quod Officialis Episco-  
pi (cujus nomine Vicarium saepiuscule veni-  
re, adverterimus in Lib. I. tr. de Jurisdic. cap. 6.  
num. 47.) in causa matrimoniali sententiam  
definitivam tulit; & in cap. accepti §. 1. de Fri-  
gid. & malefic. ubi refertur quadam mulier,  
in causa impotentiae maritalis, ad Episcopum  
vel ad ejus Missum (quod vocabulo designari  
Vicarium, notat ibidem Gloss.) proclamasse.

27 Ratio est: quod Vicarius habeat generalem  
potestatem, exercendi auctus Jurisdictionis  
Episcopalis, quos exceptos ac Episcopo re-  
servatos esse, certo non constat, per tradita  
cit. tr. & cap. n. 15.

28 Ratio igitur in d. cap. accidentibus causae  
matrimonialis Episcopali dignitati annectun-  
tur, propterea à cognitione Vicarii nullate-  
nus excluduntur, utpote cum idem tribunal  
cum Episcopo habeat per cap. non putamus 2.  
de Consuet. in 6. cap. Romana 3. in pr. de Appellat.  
cod. in 6. Parisi dum in cit. cap. 20. Trid.  
Episcopi tantum examini & Jurisdictioni relin-  
quantur, minime Vicario, tanquam eandem  
cum Episcopo Jurisdictionem habenti, manus  
ligantur.

29 Nec augeat difficultatem, quod causae ma-  
trimoniales & criminales, quarum disceptatio  
Vicariis est prohibita, in cit. loc. aequiparen-  
tur. Non enim ibidem mens Sacri Con-  
cilii fuit, aequiparationem faciendi respectu  
Viciorum, sed respectu Decanorum &  
Archidiaconorum, de quibus aperte lo-  
quitur.

Disceptatur II. an etiam sponsalia perti-  
neant ad Ecclesiasticum Forum? Dubium,  
pro negativa facit, quod sponsalia, cum ne-  
que Sacramentum sint, neque Sacramentalia,  
nihil habeant spiritualitatis. Quod tamen  
non considerat, Canonistis una mens & sen-  
tentia est affirmativa: partim quia controver-  
sae circa sponsalia jure optimo referuntur ad  
causas matrimoniales: partim quia in Clem.  
dispensatam 2. de Judic. & illae causae, quae ma-  
trimonium quòquò modo tangunt, Judicibus Ec-  
clesiasticis demandantur: partim, quia spon-  
salia, saltem objective & terminative, sunt  
aliquid spirituale, ratione matrimonii videli-  
cet, ad quod, seu via & medium, ordinantur  
per l. oratio 16. ff. de Sponsal. Abbas, Za-  
barella, Anchoranus & Interpretes ad cit. Cle-  
ment. Ranbeck cit. disp. 2. cap. 7. coroll. 12. n. 9.  
Felician: Oliva For. Eccles. p. 3. q. 37. n. 3. sub-  
nectens in num. 4. dicta solummodo verificari,  
quando agitur de valore, aut rescissione  
sponsalium; non etiam, quando agitur de  
implemento: tunc enim (adspulante Ran-  
beck d. n. 9.) exiimitur, causam sponsalium  
esse mixti fori; etsi, se nunquam vidisse, as-  
serat, partes quoad hoc ad Judicem Saecula-  
rem recursum tentasse.

Disceptatur III. an si agatur de dote, do-  
natione propter nuptias, & similibus appeti-  
tentiis matrimonii, Judicium Ecclesiasticum  
requiratur?

Resolutio hic admodum certa est, non re-  
quiri Judicium Ecclesiasticum, nisi de dote &c.  
incidenter tantum agatur cap. de prudentia 3.  
cap. per vestras 7. de Donat. inter vir. & uxor.  
Magnif. P. König ad tit. de Judic. num. 59. P.  
Wiestner ad tit. 18. l. 4. Decretal. n. 6.

§. III.

Qualem Judicem causae decimarum habeant?

35 EX superioribus inferitur II. causas deci-  
marum ad Judices Ecclesiasticos specta-  
re; ac ne quidem immemoriali consuetudi-  
ne, vel praescriptione Laicorum judicio sub-  
jici posse, veluti Facultas nostra anno 1683,  
consulta 28. Decembr. respondit: quod enim  
Laici Jurium spiritualium incapaces sint, jam  
aliquoties dictum: quod autem decimae spiri-  
tuales sint, dubitare tam parum licet, quam  
certum est, decimas Ecclesiae Ministris ob mi-  
nisterium spirituale primitus adinventas &  
concessas esse. Videantur textus in cap. deci-  
mas 1. XVI. q. 7. cap. eansam 7. de Praescript. cap.  
adhuc 15. cap. quamvis 17. cap. prohibemus 19.  
cap. tua 1. cap. tua nobis 26. de Decimis. P. Dö-  
ring cit. disp. de Foro compet. cap. 4. th. 7. Quoad  
has causas

36 Controversum est I. cujus sit judicare,  
quando decimae ad Laicos jure feudali vel em-  
phyteusos sunt translatae? Covarruv. probat.  
qq. cap. 35. n. 2. §. tertio &c. & Rosenthal de  
feud. cap. 12. conclus. 3. n. 30. sibi persuasum  
habent, Judici Saeculari judicium incumbere.  
Quorum ratio est: quod decimae, ad Laicos

translatae, qualitatem spirituales amittant,  
atque in patrimonium Laicorum non minus  
transcant, quam aliae res Laicales praescriptio-  
ni subjectae, juxta tradita in Lib. I. tr. de pra-  
script. cap. 4. n. 377.

Contra hos judicium Ecclesiasticae potesta-  
ti deferunt Ranbeck cit. cap. 7. coroll. 13. n. 8.  
Oliva cit. p. 3. q. 38. num. 22. Illustr. D. Baro  
Schmid, & D. de Bassis in cit. senect. 2. Q. Q.  
forensi. controuv. 26. n. 6. Ratio est: quia, dum  
decimae Laicis jure feudali vel emphyteusos  
conceduntur, manet penes Ecclesiam jus &  
dominium directum, ratione cujus vix est,  
ut Judex Saecularis possit cognoscere de do-  
minio utili, quod cum directo nimis propin-  
quam cognitionem habet. Accedit, quod  
quod, sicut Clerici, à Dominis Saecularibus  
feuda recognoscetes, feudorum nomina  
coram Dominis Saecularibus respondere te-  
nentur: ita & Saeculares, decimas ab Ecclesia  
in feudum tenentes, coram Ecclesiastico Ju-  
dice desuper conventi, judicium declinare  
non possunt. Ulterius in consideratio-  
nem venit, quod decimae, Laicis in feudum &

emphy-

emphyteusis concessae, qualitatem spiritua-  
lem non omnimode, sed tantum eatenus  
amittant, quatenus in utilitatem & usum Lai-  
corum deservint: quod fieri potest, quin  
facultatem jus dicendi Ecclesia se abdicet.

40 Controversum est II. quibus Judex com-  
petens sit, quando decimae à Laicis aliò, quam  
feudali vel emphyteusico jure, possidentur,  
ac jure proprietatis, & quasi-dominii tenen-  
tur? Ranbeck cit. l. etiam hic judicium as-  
signare videtur Ecclesiastico Judici: quia  
nempe non sequitur, quòd, si Summus Pon-  
tifex alicui decimas concedat, simul etiam jus  
41 Judicandi de decimis consignet. Huic  
tamen nequaquam consentiunt DD. Schmid,  
& de Bassis cit. contr. n. 7. posteaquam enim  
decimae à Laicis jure dominii vel quasi-tenen-  
tur, omnem planè qualitatem spirituales  
exuunt, fiuntque res verè Laicales & patri-  
moniales.

42 Controversum est III. ad quem judica-  
tura spectet, quando Laicus est in possessione  
temporis immemorialis quoad jus deciman-  
di, eique à Parocho de suo jure lis movenda?  
Aliqui, quos suppressis nomine referunt cit.  
Auctores d. l. num. 8. fuerunt ejus opinionis,  
quòd judicatura spectet ad Judicem Laica-  
lem: quia, ut aiebant, tantum est questio

facti, an Laicus tempore immemoriali perce-  
perit decimas, ac communis fama hoc ha-  
beat?

Sed horum opinionem solidè refellunt ii-  
dem praclarissimi Viri d. l. n. 9. Non enim  
questio facti, sed juris est, quando de posses-  
sione temporis immemorialis disquiritur:  
constat siquidem, quòd tam longeva possessio  
inducat praesumptionem tituli, privilegii, &  
legitimae concessionis; ideòque non nudam  
possessionem, sed & proprietatis causam invol-  
vat.

Præterea quando Parochus mo-  
vet Laico possessore litem de jure deciman-  
di, principalis questio versatur circa proprietatem  
juris spiritualis: & hinc opposita à Laico  
exceptio temporis immemorialis coram illo  
Judice, qui potestatem habet de spiritualibus  
judicandi, examinari debet: sicut, si Laicus,  
super eòdem jure conventus, diceret, se ha-  
bere privilegium expressum, controverfia de  
privilegio coram Ecclesiastico Judice exami-  
nanda foret.

Adhaec, cum fortissima sit  
praesumptio pro Parocho, quòd ipsi jus  
decimanandi, tanquam spirituale, propter offi-  
cium spirituale, competat: sanè Judicis Ec-  
clesiastici erit, judicare, utrum hæc praesump-  
tio per allegatam à Laico possessionem im-  
memorialem fuerit elisa.

§. IV.

Ad quem Judicem spectet, quaestiones limitum Parochiarum aut Episcopatum dirimere?

46 Infero ex praecedentibus III. quaestiones li-  
mitum Parochiarum aut Episcopatum  
dirimere, privatè ad Judices Ecclesiasticos  
spectare. Ita Facultas nostra Juridica anno  
& die, in num. 35. memoratò, judicavit; ei-  
demque in eadem causa subscripsit Inclyta  
Facultas Juridica Ingolstadtensis, ut colligo  
ex iis, quae proluxè discussit Clarissimus P.  
Wiestner ad tit. 29. de Paroch. lib. 3. Decret.  
à num. 33.

47 Ostenditur hæc illatio I. ex cap. Antigonus 1.  
de Pati. cap. ex literis 3. de probat. cap. super eo 4.  
de Paroch. cap. minus autem 1. cap. quia 2. de Reli-  
gios. dom. in quibus & aliis locis controversia,  
de limitibus Ecclesiarum ortæ, à Judice Ec-  
clesiastico decimae referuntur. cap. Ecclesias 1. XIII.  
quæst. 1.

48 II. ex cap. pastoralis 9. de his, qua sunt à Pra-  
lat. sine cons. &c. cap. exposuisti 33. de Prabend.  
cap. ult. de Reb. Eccles. non alienand. in 6. Extra-  
vag. sedes Apostolica de Off. Jud. Deleg. inter com-  
mun. ubi decernitur, dispositionem circa li-  
mites Parochiarum & Episcopatum Ecclesiasti-  
ca potestati reservatam esse.

49 III. ex cap. nubes 1. Diff. 80. cap. plures 54.  
XVI. q. 1. d. cap. super eo 4. de Paroch. ubi vide-  
tur inferuari, controverfias circa limites jux-  
ta SS. Canones terminandas esse.

IV. ex ratione, huic materiae propria, quòd so-  
questio limitum sit de re spirituali, utpote ad  
curam animarum ritè exercendam, Sacra-  
menta debite administranda, decimas primitias,  
& oblationes, justè percipiendas, ordina-  
tà: id, quod insinuavit Trid. Concil. sess. 14.  
de ref. cap. 9. ibi: jure optimò distinctas fuisse Pa-  
rochias, ut Ordo Ecclesiasticus non confundatur; &  
sess. 24. de ref. cap. 13. ubi mandat, ut in iis ci-  
vitatibus & locis, ubi Parochiales Ecclesia certos non  
habent fines, Episcopi NB. pro tutiori animarum  
salute distincto populo in certas propriasque Para-  
ochias, unicuique suum proprium Parochiam assignent,  
à quo solo licitè Sacramenta percipiuntur.

Neque putes: in quaestione finium de nudo  
facto disceptari. Disceptatur enim verò de  
jure proprietatis, hoc ipsò, quòd assignari de-  
beat cuilibet litiganti ius districtum, inter  
quem jus & jurisdictionem suam exercere  
possit. Indeque in l. finium 1. ff. Finium re-  
gund. per accommodè respondit Paulus: finium  
regundorum actio in personam est, licet pro vindica-  
tione rei est: indicare volens, iudicium finium  
regundorum in effectu rei vindicationi aequi-  
valere: quia, sicut in rei vindicatione vindicanti  
dominium adjudicatur, ita in actione  
finium regundorum agenti proprietates terrae  
vel fundi additur.



§. V.

## §. V.

## Quisnam exortum dubium de Clericatu decidere debeat?

- 52 **N**fertur ex præmissis IV. dubium, de Clericatu exortum, non posse decidi ab alio, quam Ecclesiastico Judice; ita tamen ut Judex Sæcularis, vel alius, interesse habens, simul vocari debeat, non ut simul cognoscat, sed de jure suo doceat. Textus expressus in cap. si Judex 12. de sent. excommunicat. in. 6. & ratio ibidem ponitur: quia hæc questio de re Ecclesiastica & spirituali est. Covarruv. præti. 99. cap. 33. n. 1. Mascard. de Probat. l. 2. concl. 689. n. 7. & seqq. & concl. 961. n. 3. Barbosa in Collectan. ad cit. cap. n. 2. P. Döring cit. dispus. cap. 2. th. 21. Oliva Fori Eccles. p. 1. q. 26. n. 24. Pignatellus som. 2. consult. 44. num. 2. & seqq. P. König ad tit. 1. libri III. Decretal. n. 11. & torrents DD.
- 53 **N**onnulli, quos adducunt Barbosa cit. l. n. 3. & Pignat. d. l. n. 1. cum viderint, praxin contrariam aliquibus provinciis irrepisse, eandem duobus argumentis fulciri posse, crediderunt. Primum est: quod Judex quilibet, de sua Jurisdictione possit cognoscere, maxime si præsumptio sit pro ipso, sicut est præsumptio pro Judice Laico, qui in Laicos Jurisdictionem habet, si Clerici esse non probentur. Secundum est: quod mera sit facti questio, sitne quis Clericus vel non?
- 54 **S**ed utrumque argumentum periculosam cymbam vehitur. Primum enim jam supra in n. 7. limitatum & solutum est. Idque non firmat adjecta præsumptio, utpote quæ facit solummodo, quod afferenti, se Clericum esse, non statim habeatur fides, sicut, si quis diceret, hoc vel illud vas argenteum esse consecratum; quod autem à Judice Laico possit que-

sio spiritualis examinari, nequaquam facit ex cit. num. 7. Alterum per se labitur: quia facti enim aliquis sit Clericus? non mera facti questio, sed juris est, habens admixtam disceptationem de Ordine Clericali, ritè suscepto.

Quæres: an ergo, si quis captus sit à Judice Sæculari, & se Clericum vel Religiosum dicat, mox remitti debeat ad Judicem Ecclesiasticum?

Resp. si captus fuerit deprehensus in habitu & tonsura Clericali, vel Monachali; aut si notorium ex fama & opinione publica sit, aliquem esse Clericum vel Religiosum, omnino remissionem statim faciendam esse per text. in cit. cap. si Judex: tunc enim aut ipsa veritas, aut maxima veritatis præsumptio exurgit pro capto Clerico contra Judicem Sæcularem, quod potestatem deridendi non habeat. Sinus 7 autem captus fuerit deprehensus in habitu Laicali, aut habitu Clericalem mox antea induerit, posse interea à Judice Laico captum detineri, donec questio Clericatus fuerit discussa, colligitur ex d. cap. si Judex in fin. quia est vehementer præsumptio, talem non esse Clericum. P. Wiestner h. e. n. 184. Ex quo obiter

Colliges: cognitionem aliquam summariam, perfunctoriam, & extrajudicalem Judici Laico de Clericatu competere: sine hac enim scire non potest, sitne necessitas & obligatio remittendi, nec ne: quod ipsum inveniatur in sæpe d. cap. si Judex. in verb. si fuerit notorium &c. & absque alia cognitione &c. docetque cum Oliva d. q. 26. num. 25. & seqq. Pignatellus d. l. n. 5. & seqq. P. Wiestner n. 183.

## SECTIO II.

## De Causis Profanis.

## SUMMARI A.

59. **C**ausa profana à Judicibus profanis disceptantur. 60. In casu denegata justitia in Foro Sæculari recurritur ad Ecclesiam. 61. Non item ad Judices Sæculares, quando in Foro Ecclesiastico non administratur justitia. 62. Item in materia cujusvisque peccati recurritur ad Ecclesiam datur. 63. Causa feudales suos habent Judices particulares. 64. Inter duos vasallus judicatur Dominus directus. 65. Inter vasallum & Dominum judicant Pares Curie. 66. Inter extraneum & vasallum, vel Dominum, Judex ordinarius notionem habet. 67. & seqq. Inter duos, quorum uterque se vasallum dicit, Dominus est Judicatur. 70. Causa aliqua sunt connexa. 71. Eaque coram uno Judice tractanda. 72. & seqq. Qui, qualis sit, distinguitur. 77. Indicatur Judex in causa, Clerico cum Laico communis. 78. & seqq. Annectuntur dua limitationes.
- §. I.
- U**binam causa profana generatim tractandæ sint?
- 59 **S**icut causæ spirituales suos habent Judices Ecclesiasticos, ita & causæ profanæ, quæ scilicet ad finem politicum & temporalem ordinantur, suos habent Judices Sæculares. Ex quo enim utraque potestas, Ecclesiastica & Sæcularis, divisa est, utriusque causæ, ad finem proprium spectantes, attributa sunt Ecclesiastica potestati causæ spirituales. Sæculari causæ profanæ & temporales, ut latè deductum est in lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 2. d. n. 141. Et hinc in cap. licet 10. de Foro compet. indicatur, rescriptum Pontificum, ad Judicem Eccle-

Ecclesiasticum, à Laico contra Laicum in causa profana impetratum, nullus esse momenti.

- 60 **U**t ut hæc regulariter ita sint, duo nihilominus casus à plerisque excipiuntur. Primus est, quando aliquis apud Judicem Sæcularem non potest justitiam consequi, vel quod omnino denegeret audientiam, vel quod jus & justum non administraret: tunc enim ad Ecclesiasticum Judicem recurrere potest per textus in cap. ex transmissa 6. d. cap. licet 10. de Foro compet. cap. novis 13. de Judic. de quo in cap. 3. n. 358. Ex quo tamen inferre non licet, posse quoque ad Judicem Sæcularem recursum fieri, quando Judex Ecclesiasticus justitiam administrare recusat, aut negligit cap. qualiter & quando 17. d. 1. & ibi Abbas n. 7. Barbosa in collectan. num. 2. Gonzalez in comment. n. 4. cum Laicus, ut sæpe diximus, sit incapax Jurisdictionis in Clericum & causas Ecclesiasticas; nec è diametro Clericus sit incapax Jurisdictionis in Laicum, præsertim ubi de peccato agitur, uti statim dicemus.

## §. II.

## Qualis sit Judex causarum feudalium?

- 63 **E**x causis temporalibus speciales Judices habent causæ feudales. Ubi tamen distinguendum est, sitne controversia inter duos vasallus; vel inter Dominum & vasallum; vel inter Dominum & extraneum; vel inter vasallum & extraneum.
- 64 **I**n primo casu Judex competens est senior feudi, seu Dominus directus. Ita textus in tit. 18. in pr. Feud. 1. tit. 24. in pr. tit. 51. §. 2. v. præterea Feud. 2. cap. ceterum 1. de Judic. cap. ex transmissa 6. de Foro compet. Et Ratio est: quia, dum specialia Jura & mores de feudis prodierunt, speciales quoque Judices sunt constituti: & quia nemo melius credebatur intelligere naturam, indolem, & proprietatem feudi, quam ipse Dominus directus, qui feudum constituit, illius judicio controversiæ con-vasallo rum inter se commissa sunt.
- 65 **I**n secundo casu, si agatur de concessione, devolutione, retentione, servitiis, aut conditionibus feudi &c. Judices sunt Pares Curie, hoc est, con-vasalli ejusdem Domini directi, communis utriusque litigantis consensu electi. tit. 55. v. si vero & tit. 16. Feud. 2. Cujus Ratio est: quia, ne Dominus in propria causa judicaret, judicium aliis tribui debebat; & quidem nemini securus, quam Paribus Curie, utpote qui post Dominum censebantur Jurium & consuetudinum feudaliu optimam notitiam & experientiam habere.
- 66 **I**n tertio casu, uti & in quarto, si v. g. extra-

Consulantur Marta de Jurisdic. pars. 4. casu 456. P. Engel ad tit. de Foro competens. num. 61. P. Wiestner ad eund. tit. num. 105. P. König ad tit. de Judic. num. 47. Qualiter autem contraria consuetudo defendi possit, latè exponit Gonzalez ubi supra n. 5. & seqq. Faciunt etiam ad rem, quæ scribit Card. de Luca de Judic. disp. 19. n. 17. & seqq. quæve habentur in Rota p. 7. dec. 240. n. 14 & seqq.

Secundus casus est, quando agitur de peccato & foro conscientie, non tam viâ actionis, quam denuntiationis, seu Evangelicæ seu Canonice, veluti in actione infra dimidium, in pactis nudis, in actionibus ex delicto reipsecutoris &c. cum enim Ecclesia principaliter respiciat forum animæ, potest judicare de omni peccato, ut dicitur in cit. cap. novis 13. de Judic. & colligitur ex cap. ult. de Sepultur. cap. in literis 5. de Rapto. P. Engel cit. l. n. 61. & seqq. ubi sapienter monet, posse aliquando à Judice Ecclesiastico partes repelli, si ratio non sit magna, vel aliam convenientiam, aut absurdam timeantur.

## §. III.

## Qualis sit Judex causarum feudalium?

nevis in fundo feudali servitutem aut aliud jus prætendat, aut omnino fundum ad se pertinere asserat, Judex Ordinarius, qui scilicet talis est respectu rei conventi, judicium exercet. tit. 15. tit. 26. §. 5. & si vasallus tit. 47. Feud. 2. Cujus Ratio est: quia alias aut Dominus deberet esse Judex, aut Pares Curie. At Dominus non potest judicare in causa propria; Pares autem Curie non debent se immiscere negotiis extraneis. Ergo magis expedit, judicium à Judice Ordinario exerceri.

Illud controversum est: utrum Judex Ordinaris, an verò Dominus judicare debeat, quando duo litigant de feudo, ac aliud feudum cæterogen ab illo Domino non habent? Pro Judice Ordinario post alios stat Fachineus lib. 7. cap. 101. hæc ratione permotus, quod unus tantummodo vasallus hic occurrat; & consequenter lis inter vasallum & extraneum versetur. Pro Domino feudi pugnant Pa-68 normitan. in cit. cap. ceterum de Judic. num. 13. Socinus in cit. cap. ex transmissa de Foro compet. n. 29. & multi alii. quorum ratio est: quia talis controversia est verè feudalis, nec ab alio, quam ipso Domino, rectius & expeditius tractari potest.

Nec illis officit ratio opposita: putative 69 enim uterque litigantium vasallus est; & ideo super utrumque Jurisdicchio feudalis est fundata arg. cit. tit. 55. §. 2. v. præterea Feud. 2.

## §. III.

## Coram quo Judice ventilanda sint causæ connexæ?

- 70 **C**ausæ connexæ sunt, quandoque ex personis tales, fortè quod plures coheredes, plures socii, plures tutores item habeant; & actio

quandoque ex actionibus, vel quia una respectu alterius est preparatoria, uti v. g. ad exhibendum respectu rei vindicationis, & actio

possessoria ad petitoriam; vel quia una respectu alterius est præjudicialis.

71 In his obtinet regula, quòd causæ connexæ non sint dividendæ, sed ab uno eodemque Judice tractandæ cap. ult. de Rescript. cap. susceptis 1. de Causa possess. & propriet. cap. ad hoc 1. de Sequestrat. possess. & fruct. l. si inter 1. l. cum ex pluribus 2. ff. de Quib. reb. ad emm. Judic. eatur. l. omnes 5. Cod. Arbitrium tutela. l. adie 1. l. si quæstio 2. Cod. de Ord. Judicior. l. cum & ipse 1. Cod. de Ord. cognit. l. nulli 10. Cod. de Judic.

72 Quis autem, interrogas, in causis connexis est Judex legitimus? Gail. 1. obs. 32. num. 3. Mynsing. cent. 1. O. 4. Blum. in Process. Cam. tit. 40. num. 9. Stryck. in usu mod. pandect. ad tit. de quib. reb. ad emm. §. 2. & plur. seqq. respondent, illum Judicem, qui respectu omnium, interesse habentium, est Superior, ad videndum esse. Bartolus & Schraderus, quos adducit & sequitur P. Engel ad tit. de Foro compet. num. 79. respondent, ibi litter terminari debere, ubi vel contra unum ex correis præoccupata est, nullâ distinctione inter Judicem Superiorem & æqualem factâ.

74 Ego considerandum arbitror, an respectu unius vel alterius ex confortibus litis Judex inferior sit incompetens, veluti si medius & immediatus civis Imperii contutores vel focii sint; aut plures correi, diversas Aultras habentes, Principes & Comites, concurrant; vel an Judex inferior non sit incompetens, sicut si plures sint coheredes, ac bona hæreditaria in uno loco sint sita. Priore casu censeo, Judicem omnium Superiorem esse adeundum per textum in *Lomnes 5. Cod. Arbitrium tutela. l. adie 1. l. si quæstio 2. Cod. de Ord. Judicior. l. cum & ipse 1. Cod. de Ord. cognit. Ord. Cam. p. 2. tit. 9. Rec. Deputat. 1600. §. Bey Insterem 23. ne cæteroquin inferior Judex, & reis conventis privilegium forum, &*

Judici Superiori judicandi prærogativam admittat.

Posteriore casu judico, coram eo Judice, apud quem causa respectu unius est accepta, respectu aliorum quoque continuandam esse arg. l. si inter 1. & l. seq. ff. De quib. reb. ad emm. Judic. & l. un. Cod. lbi de hered. Atque hæc distincta consideratio non displicere videtur. Ummio de Proc. disp. 4. ib. 4. n. 19.

Quis verò, pergis querere, tunc judicabit, quando Clericus & Laicus causam connexam habent? Et hic omnium ferè responsio Judici Ecclesiastico copiam judicandi concedit: eò quòd ex dictis antè Judex Superior adendum sit, quando inferiores respectu unius vel alterius litigantium sunt incompetentes. Atqui Judex Laicus respectu Clerici est incompetentis. Ergo &c. Videantur Covarruvius præf. 99. c. 34. num. 1. Marta de Jurisdic. p. 4. casu 118. num. 1. Sperellus decis. 19. n. 22. & seqq. Barbosa I. E. V. lib. 1. c. 39. §. 2. n. 59. & alii, apud Stryckium c. l. §. 7. allegati.

Duas nihilominus limitationes huic responsioni subjungendas opinor. Prima est in causis civilibus, quæ, si dividuæ sint, ac v. g. in danda quantitate consistant, etiam in cognitione possunt dividi, ac Clericus & Laicus pro sua quilibet portione seu rata coram Judice proprio conveniri valet, veluti cum allegato Martha sentit P. Engel ad h. 1. num. 47. Altera est in causis criminalibus, ubi Laicus criminis focus, saltem ex consuetudine, non est trahendus ad Judicem correi Clerici, sed remittendus ad suum Judicem Sæcularem: quia ex communione opinionum Ecclesiastica Dialectica rariis non nunquam contra Laicos delinquentes ex hodierna praxi solent procedere. P. Engel d. l. Covarruv. præf. quæst. cap. 34. num. 1. Pax Jordan *Elucubrat. div. lib. 13. tit. 8. num. 168.*

**SECTIO III.**  
**De Causis Mixti Fori.**

**SUMMARI A.**

80. & seq. Enumerantur causa criminales, qua dicuntur mixti Fori. 82. Notatur crimen hæresis. 83. Recensentur causa civiles, qua mixti Fori dicuntur. 84. & seqq. Triplici responsione docetur, sine cognitio de juramento mixti Fori. 90. & seqq. Similis quæstio de jure Patronatus binâ responsione dilucidatur. 93. & seqq. Negatur absolutè, quòd Ecclesia possit re-

stitutionem contra Laicum in Foro Ecclesiastico petere. 97. & seq. Eorum sententia referuntur, qui absolutum in uno Foro asserunt in altero judicari posse. 99. Refutatur. 100. Negativa suscipitur. 101. Eadem sententia defenditur de punitione. 102. Limitatur in casu, quò nequis in Ecclesiastico Foro condignâ pœna dicitari.

**§. I.**

**Quenam causæ sint mixti Fori?**

80 Inter causas spirituales & temporales quædam sunt mediz, & dicuntur esse mixti Fori, illæ scilicet, quæ a Judice, tum Ecclesiastico, tum Sæculari, disceptari possunt. Sunt quæ criminales, vel civiles. Ex criminalibus sunt blasphemia, sortilegium, sacrilegium, hæresis, perjurium, usura, falsificatio

litterarum Apostolicarum, concubinitus, fornicatio, &, teste P. Engel ad tit. de Foro compet. num. 75. pleraque crimina, in quantum de illis ad pœnam agitur. Cum enim is, qui delinquit, utramque Republicam, Ecclesiasticam, & Politicam, offendat, utriusque Reipublicæ dat ansam & causam, delictum vindicandi,

candi, cujus Superiores à DEO constituti sunt vindices & ultores scelerum & flagitiorum.

82 Dixi: in quantum ad pœnam agitur. Quod si enim in crimine hæresis negotium veretur, de ipsa hæresi, utrum videlicet reus articulum quandam contra fidem orthodoxam sœverit, aut tenuerit? Ad solum Judicem Ecclesiasticum privatè disquisitio spectat cap. ut inquisitionis 18. & prohibemus de Hæresic. in 6. P. Engel d. l.

83 Ex civilibus causis mixtæ sunt testamenta Laicorum, quibus legata pia sunt inserta Trid. Concil. sess. 22. de Ref. cap. 8. Nov. 131. cap. 10. Causæ personarum miserabilium & altarum, justitiam in Foro Sæculari non repertiendum juxta num. 60. & c. 7. num. 358. Causæ spirituales, quatenus in illis de mero & nudo factis litigatur ex num. 18. P. König ad tit. de Judic. num. 58.

84 De Juramento disceptatur, an sit mixti Fori? Ubi Resp. I. si agatur præcisè de juramento, ejus valore, nullitate, vel absolutione, cognitionem privatè spectare ad Forum Ecclesiasticum. Textus in cap. venerabilem 34. §. idem etiam de Elect. cap. novus 13. de Judic.

85 Et ratio est: quia quæstio de juramenti valore, nullitate, vel absolutione est quæstio spiritualis, utpote versans circa virtutem & obligationem Religionis, quæ cultum & venerationem DEO debitam exhibere tenemur.

86 Resp. II. si agatur de juramenti executione seu observantia in promissionibus & contractibus quibuscumque, etiam feudalibus, contra jurantem, illius cognitionem esse mixti Fori. Textus in d. cap. novus 13. cap. licet mulieres 2. de Jurisjur. in 6. cap. ult. h. e. eod. in 6. cap. quamvis 2. de Part. eod. in 6.

87 Ratio est: quia tam Judici Ecclesiastico quam Sæculari incumbit, providere, ut, quæ juratè promissa sunt, executioni mandentur. Videantur Passerini ad tit. cap. ult. h. e. in 6. Barbosa ibid. ac novissimè Reverendiss. DD. Guetrather ibid. a n. 132.

88 Resp. III. si ad eundem finem agatur contra jurantis hæredem, cognitionem ad Forum Sæculare privatè spectare. Authores, mox citati. Textus in d. cap. ult. h. e. in verb. contra juramentum, à se præstium; quæ denotant individualement jurantis personam, camque solam ad Forum Ecclesiasticum evocari posse, supponunt. Ratio est: quia, tametsi cæteroquin hæres in Foro defuncti conveniri possit & debeat; id tamen haud aliter est intelligendum, quam si conveniatur ex persona defuncti in illis, in quibus defunctum representat. Atqui in obligatione juramenti, quatenus est spiritualis, & oritur ex virtute Religionis, hæres non representat defunctum, neque ex persona defuncti eò nomine conveniri potest, uti dicemus in tract. 3. cap. 7. Ergo &c.

90 De Jure Patronatus quoque disceptari po-

test: an illius quæstio sit mixti Fori? Pro cuius decisione


Resp. I. quòd, si quæstio vertatur de Jure Patronatus personali, sit Fori Ecclesiastici. Textus & ratio datur in cap. quanto 3. de Judic. quia Jus Patronatus est spirituale, vel spirituali connexum.

Nec obstat textus in cap. significavit 41. de Testib. ubi refertur casus, quòd Judex Sabinensis de Jure Patronatus personali judicium interposuit. Nam, ommissis aliorum responsionibus, Resp. cum Gonzalez ad tit. cap. quanto num. 9. Judicem Sabinensem non fuisse Laicum sed Clericum, Vicarium nempe Episcopi, qui plerumque Cardinalitâ dignitate fulget, Romæque residet.

Resp. II. quòd, si quæstio vertatur de Jure Patronatus reali, quatenus est annexum fundo, castro, vel universitati bonorum, sit mixti Fori, possitque Judex etiam Sæcularis de eo cognoscere. Gonzalez cit. num. 9. cum citatis ibidem. Ratio est: quòd Jus Patronatus reale non tam consideretur ex natura sua, quam ex conditione rei, cui, tanquam accessorium, adhæret: adeoque, sicuti cum re ipsa deducitur in emptionem-venditionem, transactionem, aliâsve conventiones temporales; ita etiam judicium temporale non abhorreat.

De restitutione in integrum pariter disceptari video, an ea, si petatur ab Ecclesia contra Laicum, sit mixti Fori; possitque vel apud Ecclesiasticum vel Sæcularem moveri? Cum affirmantibus sæcùs contrahunt Molina de J. & F. tom. 2. tract. 2. disp. 573. n. 25. Oliva Fori Eccles. p. 3. q. 1. n. 6. Gutier. Can. ag. lib. 1. cap. 14. n. 10. P. König cit. l. & DD. communiter.

Ab his recedere non veretur Covarruv. lib. 1. Var. resol. cap. 4. n. 2. & cum eo Clariss. D. Franz in Jurisprud. quintuplici q. 3. num. 2. & seq. Et rectè. Nam causa restitutionis est merè & verè profana; proindeque, si contra Laicum reom petatur, coram Judice Laico petenda est: tum ut actor sequatur Forum rei: tum ut idem Judex, qui cognoscere potest de contractu, cognoscere etiam possit de distractu, conformiter asserit in c. 3. num. 110. tum ut Ecclesia, quæ jure minoris gaudit, jure minoris, privilegium Forum in restitutione non habentis, juxta l. quantum 2. Cod. ubi & apud quem &c. utatur: tum denique, quia tota ratio, quâ se fulciunt Authores dissentientes, consistit in sacrilegio, quod committi putant, quando Ecclesia leditur à Laico in contractu: sed hæc ratio parum aut nihil probat: quia sacrilegium tale non est formale, sed materiale tantum, dum dolò, sine quo sacrilegium formale non potest admitti, carere supponitur. Ad contraria respondet cit. Clariss. Collega num. 4. & seqq.



**§. II.**